e-codices



iudicandus. cui diabolus a dextris sedet. Is enim procul dubio auxilio et protectione divina caret. Sic in regum libro de Iesu sacerdote legimus. Et sathan inquit stabat a dextris eius ut adversaretur ei. A dextris ergo inquit est mihi dominus. id est deus pater mihi semper adest. semper qui defendit et ad profectum opera mea deducit. Ne commovear. id est ne conturber. ne in peccatum labar. Propter hoc. scilicet quia certus sum dei patris semper mihi adesse auxilium laetatum est cor meum et exultavit lingua mea. id est uterque homo meus. interior scilicet et exterior. id est anima et corpus meum congratulatur et laudat dominum patrem. Insuper et caro mea requiescet in spe. scilicet futurae resurrectionis. neque enim spero quod me in die iudicii cum aliis hominibus resuscitaturus sis. sed certus sum quia cita resurrectione me glorificabis. unde et subditur. Quoniam non derelinques animam meam in inferno. scilicet longo tempore demorari. Nec dabis sanctum tuum vel Christum filium tuum videre corruptionem. id est putrefactionem carnis suae. Corruptio enim hic pro putrefactione accipitur. Notas mihi fecisti vias vitae. quia devius iniqua agit. dignum est ut devius mortis loquamur. Via quippe mortis est superbia. quia initium omnis peccati superbia fuit. Si autem via mortis superbia dicitur. non incongrue via vitae humilitas appellatur. Notas inquit ergo fecisti mihi operatas vias vitae. id est docuisti me humilitatem. Iuxta quod apostolus dicit. humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem. mortem autem crucis. Potest autem et vox ecclesiae esse. quae capitis sui humilitatem devote sectatur. humiliterque vias preceptorum eius exsequitur. Dicit ergo ecclesia. Notas mihi fecisti vias vitae o deus. id est docuisti humilitatem. ut si quid boni habeo vel ago. totum tibi et nihil mihi tribuam. Adimplebis me laetitia cum vultu tuo. id est in presentia tua omni iocunditate et exultatione replebor. Adimplebis me dicit. id est valde implebis. Ad enim exaggerativum habet sensum. hinc et alibi dicitur. Satiabor dum manifestabitur gloria tua. Delectationes in dextera tua. id est omnis dulcedo et suavitas mihi erit. cum ad dexteram tuam consedero. Si autem vox ecclesiae sit. delectationes in dextera tua sunt inquit. id est in prosperitatibus tuis quibus dexter fieri dignaris. usque in finem. id est semper et aeternaliter.

Cum per omnes psalmos pene iugis oratio sit. queri potest cur hic psalmus hanc prescriptionem acceperit. Sciendum quia in aliis psalmis cum oratione plures aliae res continentur et diversae. hic autem ab exordio sui usque ad finem pene solam continet orationem. Oratio vero dicitur. quasi oris ratio quantum ad homines. Ad dominum autem oratio est deprecatio. Est autem proprium hic psalmum vel Christi vel ecclesiae eius interpellatio. ideo non habet huiuscemodi prenotatum titulo. Exaudi domine iustitiam meam. Vox Christi est ex humanitate. Interpellat enim dominum patrem. constitutus in passione. Dicit itaque o domine deus pater. exaudi iustitiam meam. id est misericorditer audi. Et secundum hoc quod iustus sum. me iudica et discerne ab aliis. ut cito me facias resuscitari. quia nullius detinear gravedine peccati. Intende deprecationem meam. Idem repetit. Notanda est autem pulchra distinctio verborum. Intende enim ait. cum vox non oculis soleat intendi. sed auribus percipi. quod ideo fit. ut ostendatur in deo unum tantum effectus operum esse. Tantundem enim illi est audire. quantum et videre. neque habet alibi auditum. alibi visum. ut aliunde audiat. sed ex toto videt. ex toto odoratur et audit. Auribus percipe domine orationem meam. id est benigniter et misericorditer audi. ut me liberes de inimicis meis Iudeis. Deus enim aures non habet. quia non est corporeus. Sed aures eius misericors appellatur illius. Auribus ergo inquit percipe orationem meam. id est benigne exaudi. quam sub oratione fundo non in labiis dolosis. quia non aliud ore profero. et alia mente retineo. Ille enim in labiis dolosis orat. qui labiis dominum invocans corde secularia tractat. Talis oratio potius a deo irridetur. quam exaudiatur. De vultu tuo iudicium meum prodeat. iudicium de mente solet procedere. non de vultu. Sed de vultu tuo dicit. id est presentia maiestatis tuae prodeat iudicium meum. ut videlicet ita iudices. sicut scis innocentem esse et absque peccato. Oculi tui id est respectus miserationis tuae videant equitates. id est iustitiam meam. ut me secundum quod iustus sum exaudias. Et hoc secundum hebraicam veritatem. Ceterum in aliis codicibus habetur. Oculi mei videant equitates. Et est sensus. Oculi inquit mei videant equitatem. ut numquam peccem et de bono ad malum declinem. Probasti cor meum et visitasti nocte. Pulcherrimus ordo. Nam primum est ut probes. deinde ut visites. Et probatio ad passionem pertinet. Visitatio ad resurrectionem. Probasti ergo inquit verum tibi obediens esse in. verum usque ad mortem tuis iussionibus parere. Et qualiter me probasti. quia irrisionibus. flagellis. sputis et colaphis. ad ultimum me ipsum morti subiecisti. Visitasti autem cita resurrectione me clarificando. id est igne me examinasti. id est acerrimo dolore passionis. Et hoc in nocte. id est in tribulatione et angustia passionis. Nam igne nihil est acutius. et angor ille dominicae passionis. immanissimus fuit et asperrimus. Est autem

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 28 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/28)